

ORATIO DE LIVONIA

PUBLICÆ

IN CELEBERRIMA ET FLORENTISSIMA

WITTENBERGENSI ACADEMIA

HABITA ET RECITATA

A

NICOLAO SPECHT

Revalia Livonia

in Auditorio Majori Collegii Friderici

5. Kalend. Jan.

Anno MDCCXXIX.

Senec. Epist. XL.

Quæ veritati operam dat Oratio, incomposita esse debet & simplex.

Witebergæ

Exscribebat Johannes Hake

Anno M. DC. XXX.

VERIS PATRIÆ PATRIBUS,
Viris Amplissimis, consultissimis,
pietate, autoritate, plurimoque
rerum usu Excellentissimis
Clarissimisque, inclutz
Reip. Revaliensis.

DNN, Consulibus, Senatoribus, at-
que Tribunis Plebis Pruden-
tissimis et vigilantissimis.

*Dominis, Patronis, Adfinibus
Mæcenatibus, Fautoribus
suis summis summeque
colendis*

S. P. D.

PHOCION ILLE A-

theniensis, Amplissimi, Consultissimi, pietate, auctoritate, plurimoque rerum usu Excellentissimi Clarissimique Viri, Domini, Patroni, Adfines, Mæcenates, Fautores summi summeque colendi, Phocion, inquam, ille Atheniensis, cum ei poculum veneno temperatum præberetur, interrogatus est, numquid filio suo, qui aderat, præcipere vellet? Ego, inquit, mi fili, te obnixè rogo, ne quid ob injuriam mihi nunc factam Atheniensibus male velis, qui in fontem me damnarunt, quasi diceret Patriam odio ne habeas, & licet fuerit ingrata, nil tamen nisi fausta omnia ipsi preceris. O optimum optimi parentis monitum! Patria enim quid charius, quid dulcius, quid amabilius? Hæc communis omnium nostrum parens, cujus solum non tantum corpore primum pressimus, pedibus tetigimus, cujus aëra hausimus, cujus liberalitate educati sumus: Verum etiam, si nobilis, bona & celebris, ejus nobilitatis, bonitatis ac celebritatis sumus participes, exterisque nationibus ac populis ob hanc ipsam quasi reddimur laudabiles & commenda-

biles. Nam quis nescit, quod locorum tanta sit vis, ut, si homo diu alicubi versatus est, ex eo aliquo modo iudicetur? Sic Murenæ apud Ciceronem objicitur, quod in Asia luxui dedita militaverit, quasi aliquid vitii ibi ex incolarum conversatione contraxerit. Et hoc non mirum: cum singulæ vrbes & regiones singularia sua habeant instituta, mores, leges, juxta quorum normam incolæ informentur. Sic gloriosius nil fuit olim Athenis stantibus, quam dici civem Atticum, item florente Græcia vocari Græcum. Ignobilius contra nil fuit quam esse Pœnum, Scytham, Partum, Phrygem, Mysum, Lydum, Thracem, Sybaritam, Carem, Cretensem, qui ob nativa quæpiam vitia semper male audivere, ita ut in proverbium cesserit: Pœno perfidior, Scyta asperior, Parthis vanior, Phryge servilior, Myso effeminatior, Lydo stolidior, Thrace bibacior, Sybarita fastuosior, Care vilior, Cretensi mendacior. Hinc & Plato Philosophus ille sapientissimus, naturæ gratias egit, quod natus esset homo non bellua, masculus non fœ-

mina, Græcus non barbarus, Atheniensis non Thebanus. Cum igitur tam multum referat, quæ patria aliquis natus sit, merito mecum omnes Livoni animos extollunt, divinæ Majestati hymnos laudum & gratiarum purissimo corde decantantes, quod nobis concesserit patriam, quæ ob pietatem, justitiam, fortitudinem, humanitatem & tolerantiam bene apud omnes exteras nationes audiat, quæ ob originem, situm aëris, & soli qualitatem cum quavis ferme in Europa regione de prærogativa certare possit. Quæ præclarissima dona Livoniæ divinitus concessa, æquæ judicii lance perpendens operæ pretium existimavi, illa omnia in fasciculum quasi colligere, collecta pro ingenii modulo oratoriis flosculis ornare, ornata publice in hac florentissima Academia Wittebergensi omnibus tum Professoribus, tum Studiosis exhibere, exhibita tandem typis describere.

Vobis autem, Viri Amplissimi, Consultissimi, pietate, plurimumque rerum usu Ex.

cellentissimi, Clarissimiqve, Dn. Patro-
 ni, Adfines, Mæcenates, Fautores,
 summi summeqve Colendi, Vobis, in-
 qyam, hoc quicquid est laboris offero, dono, de-
 dico; tum vt gratitudinem meam pro beneficiis,
 a quibusdam vestri ordinis hætenus mihi meisqve
 præstitis, tum vt meam erga Vos omnes ac singu-
 los observantiam & honoris cultum, tum vt meam
 erga Rempub. Vestram, Patriam meam dulcissi-
 mam, amorem & obsequium, monumento a-
 liquo testatum faciam. Quod Vobis placendi
 studium Vos non esse improbaturus; nec vaci-
 lanti in lubrica hac & inconsulta ætate iudicio,
 veniam denegaturus. Verum amore & favore
 me imposterum semper, sive absentem, sive præ-
 sentem prosecuturos, plane confido. Nihil ita-
 que restat, nisi vt supplicibus precibus orem Do-
 minum nostrum JESUM CHRISTUM, Rerum-
 pub. moderatorem, Regum Regem ac Principum
 Principem, vt Vos uniuersos ac singulos, vna
 cum vestra Republ. sub umbra alarum suarum
 quam diutissime conseruet, sospitet, beet, am-

plificet, sicque vestra consilia, actiones ac meditationes Spiritu suo sancto regat atque gubernet, ut omnia ad nominis sui gloriam, Ecclesie incrementum & Reip. emolumentum vergant. Hisce valete quam felicissime, Patrie Patres, Conservatores, Adjutores, Amplificatores, meque civem vestrum cum meis, ut facitis, amare & fovere pergitte. Wittebergæ Kalend. Febr. Anno salutis per Christum recuperatæ 1610cxxx.

A. A. V. V.

addictissimus

Nicolaus Specht.

RECTOR

Academiae Wittenbergensis.

Daniel Sennertus Vratislaviensis,

D. Facult. Medic. Senior, & Professor

Publicus, ac Seryenisf. Electo-

ris Saxoniae Medicus,

Civibus Academicis S. D.

VNUMQUEMQUE studio duci, & alium hoc & alium aliud vitæ genus magnificere, atque cæteris præferre, palam est. Cujus quidem rei causæ sunt diversi animorum adfectus & inclinationes. Sunt qui hisce caducis atque terrenis rebus ita quasi in nexum dati sunt, ut nihil aliud præterea cogitare videantur. Infimum profecto, & plane abjectum hominum genus: si modo hominum nomine digni. Quis enim hominis nomine dignum eum existimet, qui meliorem sui partem, animum scilicet, situ & squalore obstitam jacere patiatur, terrenis duntaxat thesauris incumbens; interim vero ea, quæ tam ad animi cultum, quam famam propagandam pertinent, susque deque habens? Sed mittamus id genus hominum, quo digni; ad terram scilicet, quæ una cum corporibus ipsorum ad se recipit, ac Libitinæ consecrat, ut vixisse nunquam videantur. Quin et ipsa quoque Nemesis non raro hanc præposteram istorum prudentiam egregie

vlciscitur, dum posteri illis ipsis rebus, quibus
 parandis tantopere parentes desudarunt, ad per-
 niciem suam abutuntur. Nec minus ridiculi
 sunt illi [quales inter veteres Philosophos non
 nullos fuisse, memoriæ proditum est] qui illis
 ipsis, quæ Dei beneficio adepti fuerant, vitæ
 præfidiis vltro se nudarunt. Stulte fecerunt v-
 trique. Quæ igitur via hic insistenda? illa vide-
 licet, quam Crispus Salustius monstravit, dum
 ait; priorem animi, posteriorem corporis curam
 habendam. Proinde laudem haud vulgarem ad-
 ipiscuntur, qui huic monito obtemperantes sic
 vitam suam instituunt, vt semper maiorem habe-
 ant animi quam corporis rationem. Quo in nu-
 mero sunt bonarum artium amatores, qui non
 modo omni ingenuarum & honestarum discipli-
 narum genere animos excolunt; Verum etiam
 literis humanioribus ita dant operam, vt stilo
 velut optimo dicendi effectori & magistro, mul-
 tum tribuendum censeant. Horum vestigia stre-
 nue atque laudabiliter premere videtur Juvenis
 Virtute & Eruditione Ornatissimus Nicolaus
 Specht, Revalia-Livonus, divinæ ac humanæ
 sapientiæ Studiosus, qui sicut aliis in disciplinis
 ingenium suum delitescere non patitur, ita non
 progressus suos, quos fecit in studio eloquentiæ
 ac Historiarum, in occulto jacere vult, sed poti-
 us in lucem prodire, & diligentiam suam Do-
 minis Professoribus publice testatam facere desi-

detat, cum conatu satis laudabili succinctam te-
 xuit delineationem Livoniæ, Regionis nobiliss-
 simæ atqve amplissimæ, Patriæ suæ dulcissimæ,
 cui se plurimum debere, & cujus charitatem o-
 mnium charitates complecti haud ignorat: quam
 cras hora IX. in Auditorio Majore recitabit. Cui
 ut frequentes adfatis & promptam ac beneuolam
 aurium detis operam, tum materiei utilitas, at-
 que præstantia, tum Indoles Juvenis hujus ad ve-
 ram virtutem solidamqve doctrinam efflorescen-
 tis videtur mereri. Nos quoque illud partium
 vestrarum esse, maximopere censemus. P. P.
 Wittebergæ d. XXVII. Decembr. Anno Epochæ
 Christianæ c1o1oCXXIX.

RECTOR MAGNIFICE

VIRI admodum Reverendi, Amplissimi,
Consultissimi Experientissimi, Clarissimi;
Tuque Studiosorum Corona nobilissima,
lectissima, florentissima.

CONSCENDENTI mihi hanc cathedram multum sane venit in mentem dubitare majorene gaudio an rubore suffundi debeam. Tria enim illa, loci scilicet amplitudo, audientium dignitas & materix gravitas, quæ singula ad dicendum surgentibus timorem injicere consueverunt, ea sese mihi nunc objiciunt vniversa. Wittebergæ verba facere, quis est, qui parum putet? & si quis esset, eum necesse est in maximarum earundemque toti orbi notissimarum rerum ignorance versari. Ecquis est hodie tam inaccessus; tamque ab omni hominum consortio remotus locus, quo non hujus celeberrimæ Academix fama pervaserit: quis populus, quæ gens, quæ hominum natio vel tam immanis atque barbara, vel tam exulta disciplinis atque artibus, quam non jam pridem florentissima Witteberga, non gloria modo & splendore nominis sui, verum etiam admiratione compleverit? Hæc omnium virtutum, scientiarum & artium Musæum, omnium piarum in Germania Ecclesiarum Regina & Mater, theatrum Europæ, imo totius orbis. Et quid mul-

tis? Hæc sanctitate & celebritate omnia vincit reliqua mundi. Cui igitur aliquid perturbationis non afferret hæc loci celebritas? cui præterea accedit, vestra, Auditores omnium ordinum spectatissimi, autoritas, dignitas, dexteritas, gravitas, quæ nil, nisi perfectum ingenio, elaboratum industria, expolitum artificio, comprobatum vñ experientia afferri requirunt. De Demosthene & Heraclito refertur, illum aspectu Philippi Regis Macedonum, hunc aspectu Hannibalis ita conturbatos fuisse, ut in limine orationis obmutescerent. Quid putatis mihi jam vñ venire, qui minime cum illis sum comparandus sed hominem me agnosco.

*Invida quem spatium Natura coercuit artibus,
Ingenii vires exiguasque dedit.*

Et in materia ejusmodi versari mihi propono, ad quam tractandam ob difficultatem, vbertatem & doctorum discrepantiam, incomparabile Ciceronis flumen, inimitabile Senecæ acumen, & inaudita Ptolomæi aliorumque curiosissimorum Geographorum peritia ac scientia vix sufficerent. Quis enim ignorat, nulla in re magis de ingenio, de doctrina, de gloria esse periclitandum, quam in describendis regionibus, inquirendis populorum originibus & definiendis moribus? Vbi sane tot sensus, quot scriptores. Qua propter hæc si mecum tacite commentari ordior & simul

facertos meos expendo, artus artesque libro, læ-
 titiæ sic timor obstreperit vt nunquam magis quam
 nunc vires senserim invalidas. Ast, quoniam in
 id redactus sum necessitatis ambiguum, vt vel in-
 diferti famam, vel hominis ingrati subeundum
 habeam, malo difertitudinis laude insuper habi-
 ta, meam in dicendo tenuitatem pudibundus de-
 nudare, quam turpissimo ingratitude vitio no-
 tari: quod certo fieret, si nullam grati animi si-
 gnificationem iis exhiberem, a quibus beneficiis
 affectus quam plurimis. Nos omnes novimus,
 rationis expertia animalcula, ciconiam, canem,
 leonem officii mutuam rependere vicem solere:
 quanto æquius ac iustius nos, qui ratione duci-
 mur, gratiam nobis beneficientibus, si propter
 culpam fortunæ iniquioris non parem referre po-
 tuerimus, tamen aliquam scribendo saltem, bene-
 sentiendo, atque assiduis illos extollendo laudi-
 bus et habere et agere non detrectaverimus. Cum
 autem amplissima regio Livonia, quam vt
 sanctissimam & antiquissimam parentem veneror,
 infantiam meam fovit, pueritiam aluerit, ad-
 lescentiam exercuerit, aliaque innumerabilia vs-
 que ad hunc diem beneficia præstiterit; quis vitio
 mihi vertat, si loco recompensationis ejus laudes
 hodie vobis decantare desudavero; præsertim
 cum alias Patriæ, in qua geniti, enutriti & e-
 ducati sumus, si res ferat, ipsam vitam, nedum
 aliquid officii & obsequii genus debeamus. In

altum igitur laudum Livoniæ exspatiabor & argumentis sole meridiano clarioribus evincam, Livoniam omnibus Europæ Regionibus ac provinciis honorum palmam facere ambigam. Quod dum facio imitari lubet optimos belli Duces, quicum proximante prælio angustiis locorum inclusi ad pugnam educere univrsam exercitum non possunt, optimos lectissimosque milites in primam aciem subducunt, cæteris remotis: ita angusto horulæ spatio circumscripto, ea promam tantum quæ omnino premi non debent, & ex in numero laudum numero carptim quasi et saltuatim paucula designabo. Vos autem A. omnium ordinum spectatissimi, & præstantissimi, debita submissione & observantia oro, ut vestra benignitate & favore cœptis benevole aspiretis, neque mihi fraudi esse patiamini, si non pari iudicii dexteritate, pari eloquii claritate, pari verborum flumine, pari sententiarum copia, nitore ac pondere quam vestra requirit expectatio, peroravero; sed satis mihi esse duxero, ea voluisse, quæ alii poterant.

Ac principio quidem laudem regionibus maximam conciliare solet incolarum nobilitas & originis antiquitas: Unde Thebani gloriantur se *σπαρτες*, quasi diceret editos e feminatis dentibus Draconis a Cadmo interempti; Arcades *προσαληνας* h. e. natos ante Lunam; Athenienses

αυτο-

αυτοχθονες h. e. ortos in iis locis quos incolunt. At vero, si ad primos Incolas Livoniæ ejusque antiquitatem respexerimus, nullis illa indiget ejusmodi nugamentis. Non enim aliquam ex otiosorum hominum fabulis, aut vefanis gentilitatis figmentis gloriam sibi venatur: sed et sui incóias ac conditores nobilissimos producit, & antiquitatem mirandæ vetustatis demonstrat. Sic si veteres annales temporumque rationes supputamus, certo certius apparet Livos sive Livonos colonias esse fortissimorum Cymbrorum, adeoque ex progenie Gomeri nepotis ipsius Nohæ, ex maximo natu filio Japheto. Notum enim est, quod Japhet filius Nohæ, in divisione orbis, quam inter tres filios Noah, anno post diluvium 101. dicitur forte instituisse, acceperit cum posteris possidendam Europam. Sed ut compleretur vaticinium Nohæ, quo prædixit, fore, ut Japhet amplificaretur & in Simeis habitaret tabernaculis. Japetiginæ Europam pro numerosa posteritate angustiorem nacti, in Asia etiam & mediterraneis maris Insulis habitaverunt; ita ut merito Japhet pater Germanorum, Græcorum, Latinorum & omnium populorum versus occidentem & septentrionem habitantium dici possit. Nam septem ejus filii, septem proprias sedes quoque occuparunt. Sic ut reliquos taceam, Gomerus habitavit in septentrionali regione, a quo orti & appellati Cimmerici ad Bosphorum Cinnæ-

rium Mœotidis paludibus proximum (qui de illis Cimmericus est appellatus) ultra fontes Thanaï fluvii, vbi in Ducatu Rhesnensi Muscoviæ Principi subiecto oritur, sedes suas habuerunt. Postea successu temporis, quod haut difficile illis fuit per regiones propinquas Russiam, Litvaniam, Livoniam, Borussia & Cymbricam Chersonesum, vbi Sveci, Dani, Gothlandi progressi, toto eo littore se passim diffundentes, late dominati sunt & castrato paulum nomine Cimbri nuncupati. Post longum vero tempus hi Cimbri, gens alias bellicosa, strenua & audax, his suis coloniis septentrionalibus relictis, in numero trecentorum millium per Germanorum regiones in Helvetiam, Galliam, Hispaniam, Italiam penetrarunt, vbi quam plurima bella gesserunt, quo vsque clade accepta ad extrema redacti patrias oras, vtpote Daniam, Borussia, Svetiam, Livoniam, Litvaniamque repetierunt ac inhabitarunt. In quas vero regiones An. Domini 573. Ducem Litalanum sive Litwonem, Vedenuti Prussiæ Regis filium venisse scribunt Authores, a quo Livoni & Litvani nomen traxerunt. Aliis alia nominis deductio placeat, ita vt Livoniam sive *Lieffland* a *Liebland* derivent; fortassis ob situm, fertilitatem & alia divinitus ipsi concessa dona. Hæc de Origine Livoniæ peritissimorum Historiographorum monumentis consentanea, paucis præmisisse sufficiat:

pergo ad illa quomodo & quando Livonia in notitiam Germanorum venerit, ejusque incolæ Christo nomina dederint. Neminem vestrum, A. esse autumo, qui non cognitum atque perspectum habeat, totum pene orbem terrarum post maximum illud vniversæ terræ diluuium, fallacium Dæmonum fraude seductum, veram vnus Dei religionem cum impio multorum & falsorum Deorum cultu, vanaque superstitione commutasse. Quidam enim mortuos homines propter merita beneficia & egregia gesta, cultu diuino venerabantur: alii malignos Dæmones, commentitiis miraculis & prodigiis hominum oculis se insinuantes, adorabant: denique belluis atque serpentibus & sculptis pictisque arte humana simulachris, gloriam veri DEI exhibebant; donec JESU CHRISTI veri Dei hominisque benignitas & Evangelii ejus claritas, post multa secula, quasi lux clarissima mundo cœlitus affulgens, has terras terribilesque tenebras discussit. Sed regiones septentrionales & omnes gentes ad Aquilonem vergentes, Christianæ religionis ignaræ, vano idolorum cultui diutius subjugatæ fuerunt. Difficilis enim ad eos externis gentibus aditus erat, propter efferam barbariem & crudelitatem populi. Romani etiam & Græci, qui primo fidem Christianam amplexi sunt, septentrionalium plagarum minus exactam notitiam habebant: Vnde factum est, vt Livonia cum

cæteris ad Aquilonem vergentibus regionibus, novissime omnium sacro Babilini fonte lavata fuerit. Anno namque partæ per Christum salutis 1158. sive ut alii volunt 60. Friderici Barbarossæ Romanorum Imperatoris temporibus mercatores Bemenses, per mare Balticum negotiationes exercituri in sinum Livoniæ [quæ illis ignota erat regio] ad Dunæ ostium ventis adversis delati sunt, ubi barbaros ac gentibus ignotos reppererunt homines, qui illorum tanquam novorum hospitem adventum moleste ferentes ad arma conclamabant & pugnæ locum quærebant. Ast mercatores gentis barbaræ simplicissimæque animos, ob mutua mercimonia commutanda pellexerunt, ita ut non solum pacem ac amicitiam cum illis inierint; sed etiam sacellum pro se & mercatoribus, quos deinceps adducturi essent, extruere concesserint. Erat enim tunc temporis hic populus miræ simplicitatis, opumque parandarum & rei familiaris justo negligentior. Sic melle expresso [quo maxime regio abundat] ceram, velut alias quisquilias & purgamenta domibus everrebat. Postea succedente quæstu & mercatoribus occidentalibus eo loco confluentibus, Sacerdotes paulatim se illis immiscere ad jungereque cœperunt, ut mercatoribus videlicet thesauros Livonum acquirere & Christo per verbum Evangelii salutiferum lucrifacerent. Imprimis vero hac in parte laudatur Monachus qui

dam Segebergensis, Meynerus sive Meynardus nomine vir alias pietate & sanctimonia vitæ insignis, quem eloquium Domini inflammavit, ut eidem populo infideli pacem Domini nunciaret, & paulatim colore fidei faceret scintillare. Quare una cum mercatoribus conscensa navi, in Livoniam: Anno parto per Christum salutis 1170. trajicit, & conspiciens in tam insigni & præmatura messe nullos operarios exstare, continuo ibi ætatem transfigere constituit, casamque sibi ex arbutis, propter imbres arcendos construxit. Paulatim deinde hominum familiaritatem captare, & tædio superato, adhibita jam mutui convictus, & contractæ notitiæ cum incolis regionis oportunitate, religionis & rerum divinarum eos admonere, sensimque a vano idolorum cultu, ad Christianæ fidei observantiam, non minus muneribus, quam exhortationibus adducere cœpit, auspicanteque Deo, & pii viri religiosi conatum secundante, complures incolarum in agnitam veritatis doctrinam concesserunt, quorum crescente numero, multorumque animis (ut fit) rei novæ & inusitatæ religionis studio flagrantibus, Basilica intitulata patrocinio Beatæ Mariæ Virginis Rigæ instauratur. Qua re cognita Bremensis Archiepiscopus Hardwicus Secundus, hunc Meynardum in Livoniæ Episcopum consecrat. Sed ubi Meynardus diuturno labore, multis periculis cursum vitæ, in omni sanctitate,

justitia & religione fervens pro Christo peregrisset: consummatus sine bono, transfissetque ad meliora; Bartoldus, & post illum Albertus, voluntate Archiepiscopi surrogantur Episcopi Livonienfes, qui crescente multorum pietate tam vi & armis, quam verbo & Exemplis invitare ad fidem Christianam Barbaros instituerunt; cui militiæ plurimi exteri Principes & milites sese devoverunt, & effervescente illa devotione, ordinem Ensisiferorum fratrum (de quibus paulo post) inter se erexerunt. Cum autem viderent suam facultatem in subjugandis Barbaris sibi deesse, Teutonici ordinis Magistro in Borussia se conjunxerunt vel potius subjecerunt, hac tamen lege, vt a supremis Cruciferorum Magistris, constituerentur Magistri Teutonici ordinis in Livonia, & contra Episcopi Borussiae, Archiepiscopum Livoniae Rigensem, Metropolitanum agnoscerent. Qua conjunctione facta, post longum temporis spatium gravissimis bellorum laboribus cum Barbaris fortiter exantlatis, rerum in Livonia potiti sunt.

Ab hoc tempore Livoni familiariter [laus Deo] habitare cœpere, se muris & fossis præmunire, legesque sibi & Magistratus, vt pacate & ipsi inter se viverent, eligere. Jam non ex rure, non ex pecore solum, sed variis inventis artificiis variisque laboribus, vitæ emolumenta quærere æs in monetam signare, cultius molliusque vestiri,

humanius loqui, pacatius conservari, splendidus vesci, magnificentius ædificare, per omnia mitiores, cultiores prudentioresque esse visi sunt, Agnatam enim barbariem feritatemque famosam sponte sua exuentes, a mutua cæde, a rapinis aliisque plurimis horrendis facinoribus abstinere, rationi & viribus jam innitentes, terram, quæ tota opacis sylvis, nocentibus bestiis, & flagrantibus vndis, humano incolatui inconueniens, deserta, horrida jacebat, industria & labore expurgare, planare, & totam fœcundam spectabilemque fecere: campos scilicet arvis adaptare, sarculo proficillos frumentum largiter producere instituere, loca ad hæc omnia frequentissime incoluere, passim ædificavere, ex modicis pagis amplissimas vrbes, ex villis pagos, in excelsis montibus arces &c.

In summa omnia per terram, per mare sic excoluere ac elaboravere, vt terra ipsa ad priscum ejus statum naturalemque squalorem hodie comparata, aliam esse credi posset, quam quæ olim fuerat.

Et sic A. cognovistis Livoniæ tam veterum quam hodiernorum incolarum originem, cognoscite, quæso, porro, necum ejus situm; qui si ad laudem regionum aliquid facit, uti facit quam plurimum, certe Livonia habebit primas. Sita enim est in nobilissima mundi parte Europæ, quæ quam longe aliis mundi partibus omni

laudis genere antecellat, quis non intelligit? Ab Oriente Russiæ, Moscorum Principi subiectæ, contigua est, Narvaque fluvius navigabilis (in cujus vtraque ripa duæ arces ejusdem nominis, vna Livoniensium, altera Moschorum, sibi ex adverso sitæ sunt] imperium Moscoviticum a Livoniensi dislimitat. A Septentrione cum Sveciæ regno & Finlandiæ Ducatu fines suos sinu maris Baltici determinat. Ab Occidente mari Balthæo (quod Germanicum & Prutenicum appellatur] contermina est. A Meridie Samogitiæ & Lituaniæ, non nihilque in Occidentem vergens Prussiæ adhæret: Vnde et qui Livoniam aliquando oculis minime ad livorem contortis perambularunt, testimonium dicunt non inviti, cum esse Livoniæ situm ut non possit esse nobilior. Nam quod valde situs felicitatem perficit, undique ad totius generis commercia est libera & aperta. Mari præterea alluitur, cujus commoditatem si amplissimis vellem extollere encomiis, vino nobili & vendibili suspenderem hedera, aut horrenti stomacho conciliarer cibos juxta vulgatissima & probatissima veriverbia. Quid enim quæso, regioni & civitati jucundius, quid utilius, quam si adjaceat mari? Per quod undique commercia ad vitæ usum necessaria importantur & exportantur, ipsaque mercatura (qua florente florent omnia, qua jacente jacent quoque omnia) cum exteris nationibus exercetur.

Quin imo per mare quicquid mercium aliarumque rerum necessariarum, plaustrorum beneficio absque gravi sumptuum dispendio longissimorumque dierum jactura non advehitur, id facillime brevi temporis spatio ac longe minori pretio advehi potest. Hic situs [vt verba ad compendium ponam] mœnia in portu adversus hostem habet, hic situs commune quasi forum orbis terrarum habet, hic situs amœnitatem maris & fertilitatem telluris adfert, hic denique infinita bona ab exteris in regionem vel urbem vehit. O felicem igitur Livoniam, quæ talem nacta es situm! heu quantam eminentiam habes præ reliquis regionibus ac urbibus, quæ hoc maris beneficio, tanquam summo, inter Dei dona, dono desituantur.

Sed transeo ad amplitudinem Livoniæ, quæ secundum nonnullorum supputationem nonaginta miliaribus Germanicis in longitudinem & quinquaginta in latitudinem cum sinu maris Baltici adjacentem extenditur: aut vt alii Livoniæ magnitudinem extendunt, habens in longitudine centum & viginti, in latitudine quadraginta miliaria Germanica. Hoc suo ambitu complectitur quam plurima territoria sive Provincias; Lettlandiam scilicet, Vielandiam, Curlandiam, Semigaliam, Estlandiam, Virlandiam, Hariam, Gerwendiamque, quæ omnes clarissima adeoque refertæ, vt Ducatum rationem obtineant. Pro-

ponite non vobis ante oculos, A. Hariam, quæ vix vicesima est pars Livoniæ. Hæc An. Christi 1570. etiamsi paulo ante, vastationibus & direptionibus Muschovitjicis erat vexata, nihilominus tamen 30000 Militum, per triginta integras septimanas abundantissime aluit & sustentavit, imo & vicinis locis tunc temporis ab hoste quoque pressis alimenta largiter suppeditavit. Hic nihil dico, de harum provinciarum civitatibus quarum attestantibus Livoniæ scriptoribus, decem numerantur mercatorix, clarissimæ, & florentissimæ. Lubens prætereo arces, quarum habentur plus quam octuaginta, exclusis castellis sive castris, munitissimæ. Taceo villas, pagos atque præfecturas, quarum numerus est infinitus.

Agnoscite hinc, A. quantitatem opulentiam, potentiam Livoniæ videre quam longe Borussiam, Pomeraniam, Holfatiam, Megapolin & alias superet. Huic amplitudini ac potentix non incommode adjicio ejus temperiem, quæ optima & saluberrima est. Cælum enim satis clemens ac temperatum habet aër, aqua, terra, maxime favent incolis nihilque desiderari videtur, quod hominibus pecudibus omnibusque e terra nascentibus salutare sit. Constituta non hæc regio est temperatiori sub climate, in quo radii solares nec nimis recti, nec nimis obliqui existunt, ut vel æstus intensior, vel frigus vrgentius homines ac cætera animalia lædere possit. Quid? aër

hic paulo firmior & frigidior corpora roborat, & quasi constipat & conspissat, vt duriora facta calorem nativum rectius contineant, optime alimenta assumpta digerant; sicque imperfectæ staturæ homines succrescant, & propter sanguinis optimi copiam animosiores & fortiores reddantur. Licet autem cœlum paulo frigidiusculum sit, nihil tamtn hoc laudi detrahit Livoniæ, cum id ad sanitatem & validitatem corporum mirifice conferat. Non enim vt jam dictum est, ita salutaris est corporibus æstus, aut tepidior æris constitutio, cum ille non solum humores adurat & homines deformiores reddat, quod in Hispanis, Gallis & Italis videre est: sed ad intima etiam penetrans, humidum nativum maximopere lædat: hæc enim ad recipiendam aptissima paulatim calorem nativum per poros laxiores & semper apertos evocat, sicque hominem variis morbis infirmitatibus reddat obnoxium. Aeris hæc clementia loci etiam amœnitatem efficit longe jucundissimam. Sive enim hortorum respicias frequentiam, est ea circum quaque fragrantissima, sive prætorum, herbarum florum, radicum abundantiam, est ea suavissima? sive agrorum, fluminum & piscinarum copiam, est ea patentissima & exoptatissima, vt aliud; Nullus in orbe sinus [Livonia; non] Bais præluceat amœnis; dubio procul scriptum reliquisset Horatius, si modo cognitum habuisset & versus non relu-

ſtatus eſſet. Solum namque præcipua quædam bo-
 nitate & fertilitate donatum eſt & fructus fert tan-
 ta vbertate, quanta vix vlla alia Germaniæ regio.
 Sicuti igitur Medi malis Punicis, Arabes thure,
 Indi auro, Palæſtina olim Balfamo, alii alio in
 genere excelluerunt: ita Livonia omnis generis
 frumentum affatim exhibet, quo ſic abundat, vt
 exteræ quoque & tranſmarinæ nationes, Lubeca,
 Amſtelodamum; Hollandia, Dania, Sveciaque
 ejus vbertatem percipiant & grandi copia frumen-
 ta deportent. Refert probatæ fidei rerum Livo-
 nicarum ſcriptor Balthaſar Ruſſovius, vni-
 cam Revaliam (ut reliquas taceam) abſque vl-
 lo civitatis damno & annonæ periculo, quotan-
 nis vendidiſſe decem millia Laſtarum Siliginis.
 Nihil jam dicam de mellis linique copia, nihil
 de hortis pulcherrimis, qui largum epularum v-
 ſum præſtant, & abundant arboribus & fructife-
 ris & amœnis, vtpote pomis, pyris, prunis,
 ceraſis, nucibus &c. Nihil dicam de lupinis,
 phaſeolis, piſis, fabis aliisque leguminibus, ni-
 hil de herbis edulibus ac radicibus referam; ni-
 hil de liliis, roſis, violis, majorano, & multi-
 plicibus aliis bene olentibus herbis, coronariis
 & floribus, quibus omnibus non tam ad vitæ ne-
 ceſſarios uſus, quam ad delicias & medicinas in-
 certamen uſque pleræque provinciæ Livoniæ lu-
 xuriant. Aromata & omnium generum vina
 quod concernit; quamvis ibi non naſcantur; illis

tamen incolæ prorsus non destituuntur, præsertim, cum quotannis ab exteris nationibus grandis copia ea mari advehantur. Sed quid? an Livoniæ cerevisiam sicco transibimus pede? quæ ibi coquitur laudatissima, & non solum cum Gedanensi, Rostochiensi, Zervesteni, Brunsvicensi, Torgensi & aliis civitatum Germanicarum primariis: Verum etiam optimo vino est conferenda. Epota enim hac cerevisia, hæret stomacho & leniter permeat, fovetque naturæ vires & pituitam extenuat. Nullos illa capiti vapores, aut ori ructus, nullum ventri tumorem, aut vesicæ impressionem accersit; sed cibo se commiscens facile conquiescit, molliaque inducit somnia hominibus aptissima. Præterea in Livonia pratorum & pascuorum lætissimorum ea est felicitas, ut nullibi ovium, caprarum, suum, aliorumque armentorum & gregum sit fructus uberior. Nemorum ac sylvarum ea est præstantia, ut nullibi sit Ursorum, Alcium, Luporum, Vulpium, Lyncium, Martium, Castorum copia major: ea est luxuria, ut nunquam venationes leporum, cervorum, perdicum (quæque in his locis in deliciis habentur, ibi rusticorum etiam & plebeiorum hominum familiaris est cibus) sint prohibita, sed cuiusvis semper licita.

Ad tot tantasque fertilitates non parum admirationis accedit ex providæ matris Naturæ institutione, quæ voluit lepores in Livonia mutare

æstate & hyeme colorem, ita vt perinde ac Helvetiis in Alpibus, hyeme sint albi, æstate vero cineracei. Sed altius Livoniæ dotes repetendæ sunt. Ac licet saluberrimæ passim aquæ cunctam regionem, ad miraculum usque humectent, irrigent, foveant: non minori tamen gratitudine pensandum beneficium est illud quod innumeras piscium species & saporis exquisitissimi emittant; & tanta vi, vt multoties capturam ea impediatur, & piscatoribus speratum, retibus molem ponderis non tolerantibus, eripiat fructum. Hac laude ac singulari Naturæ privilegio, quæquam omnes lacus [quos Livonia quam plurimos habet] gaudent: inter omnes tamen Duuna, Peybes & Vortzgerf primas merentur. Duuna enim qui gratior? cujus tanta in navigationibus commoditas, vt nesciam an in aliis omnibus sit par, nedum major. Nam per hunc in Livoniam naves appellant variis mercibus onustæ ex Svecia, Dania, Holsatia; imo ex ipsa Russia, e qua hic fluvius originem trahit, urbemque Rigam & arcem alluit, & duobus a Riga in mare amplissimis ostiis exoneratur. Reliquis duobus lacibus Peybe scilicet & Vortzgerfa qui amplior? qui piscium copia nobilior? si quidem ille milliariibus in longitudinem quindecim, & in latitudinem septem; hic in longitudinem septem, & in latitudinem duobus extenditur, omnisque generis piscibus ambo sic abundantes, vt affirmare

vix dubitem, duas horum lacuum partes esse aquas, tertiam vero pisces: unde semper cuivis sive nobili sive rustico, sive alterius conditionis homini potestas fuit, pisces captandi, captos pro arbitrio recentes vel vendendi, vel sale conditos ad vicinas regiones exportandi. Quid dicam tandem de fluminibus, fontibus scaturiginibusque, quibus omnibus Livonia, supra quam dici potest, abundat. Sic nulla vrbs, imo nullus pagus invenitur, ubi non aliquot scaturigines, unde aqua largissime promanet & incolis multa commoda præbeat: Intra ipsa vero mœnia cujuslibet civitatis tam multi cum publici, tum privati singulorum civium putei sunt, ut vix domus vna aqua reperiatur vacua. Hæc aquarum abundantia totam Livoniam quam maxime fœcundat, multi illic horti, multæ piscinæ irrigantur, alluuntur arbores & omnis generis fata. Nam profecto non sale, non pane, non tectis tam frequenter utimur, quam fontibus: necessitati enim utilitati & jucunditati simul subserviunt. Hinc Vegetius, magna, inquit, urbis utilitas est, cum perennes fontes murus includit. Et Aristoteles Philosophorum ille Coryphæus inter reliqua requisita urbis hoc addidit. Aquarum inquit, & stagnorum abundantiam urbs habeat maxime naturalem, quod si naturalis deficiat, ex aqua pluvia cisternæ & lacus, qui magnam vim aquarum suscipiant, comparentur, ita ut deesse aqua, si

quando obsideretur, nunquam possit. Ex his luculentissime patet, felicitatem quoque regionis ex fontibus & aquis dependere, quibus si est privata, merito infelix dici queat. Sed his relictis ad ea digrediendum est quorum utilitate, laude & prærogativa Livonia cum omnibus fere aliis Germaniæ regionibus certare valeat. Quænam igitur regio præter Borussia proferrî poterit, ubi majori & copia & nobilitate succinum; vulgo *Bornstein* dictum, quod ferme cum auro geminisque conferendum, colligitur? Hoc nobilissimum bitumen (de quo ut aliquid dicam) invenitur in litoribus maris, instar massæ seu glebæ nullam certam formam habentis duræ solidæque, ceu lapis, aliquando puræ & sinceræ, aliquando remistæ herbis, lignis, bestiolis, calchanto quodam nigro aliisque fordibus. Alii tradunt hoc fluctibus appulsum ad litora, homines nudos obviam euntes illos parvis retibus excipere & extrahere, molle quidem primum, sed mox in aëre durescere & condensari. Ab Arabibus peculiari nomine appellatur, *Carabe*, quod rapiens paleas interpretatur, hoc est, panno ubi fricatur, paleas & scobes siccas ad se trahit per exeuntem spiritum. Huic suæ mirabili naturæ accedunt aliæ quam plurimæ virtutes quæ Philosophis & Medicis satis notæ, & profecto tempus & verba deficerent, si illas saltem levi ut ajunt brachio, attingere vellem,

▼obis

vobis scilicet aperiendo, quantum faciat ad facilem partum, quantum ad provocationem vrinæ, quantum proſit ſanguinis rejectioni, tabi & gonorrhææ, quam valide compeſcat ſtrangulationem vteri, quam feliciter medeatur capitis deſtillationibus, paralyſi, epilepſiæ, apoplexiæ &c. Hanc ſuam divinam vim & naturam experti, Turcæ, Perſæ, Armenii & alii, illud ſummo opere experiuntur, tantisque in delitiis & æſtimatione habent, vt eo ſua conclavia, Muſæa & ſacraria ornare ſoleant.

Huic nobiliſſimæ prærogativæ adjungo alteram divinitus Livonis conceſſam, felices ſcilicet lapidum divitias, quorum ad ædificia mirabilis eſt vbiſque copia, & quod miraculo adſcribendum, non procul a Revalia mons ſe extollit vulgo *Steinberg* dictus, in quo, inexhauſta & perennis lapidicina & licet ad vrſis muros; ad civium domus, ad varios circos & ad plurima hypocaustorum pavimenta aſſiduo, hinc materia petatur, adimplet tamen liberalis natura montis illa vlcera & cicatricem obducit, vt tot annorum decurſu nil pene exciſum videatur. Singulariter vero pulcherrimi lapides maculis & coloribus variis flores, fluctus, nubes & animalia repræſentantes ad menſarum uſum & elegantiam aptiſſimi & in Germania uſitatiſſimi, quibusdam in locis effodiuntur ſatis abundanter. Proh Deum atque hominum fidem! quot præterea ex illis Livoniæ lapidicinis ſumptu-

osissima arcium aliarumque structurarum opera confecta fuerint, quot munitissimæ & ornatissimæ prodierint vrbes? sane peponem præ corde habeat, qui videndi ardore non stimuletur.

Quæ enim vrbs est Riga totius Livoniæ metropoli clarior? vbi olim Archiepiscopi sedes, vbi quotannis vndiquaque infinitæ merces ad vitæ usum necessariæ importantur et exportantur. Quam vis enim duobus miliaribus a mari distet, naves tamen facillime de mari sub ipsa mœnia vrbis accedunt & recedunt. Quæ Revalia fortior? vbi tot victoriæ, tot trophæa, tot insignia ab hostibus laudabiliter reportata. Quippe cuius fortitudinem Muscovitæ senserunt, senserunt Dani, senserunt Poloni, senserunt denique magno cum malo suo alii complures. Nec mirum: namque civitas hæc licet muro validissimo, propugnaculis & turribus densis, tormentis bellicis apprimè munitis valloque inexpugnabili vndiquaque munita fossis ab altera valli parte circumducta & rebus bellicis, tormentis, commeatuque copioso pacis & belli tempore bene provisa. Arcem præterea bene munitam, & omnibus necessariis instructam, sibi adjunctam habet, quam Gubernator sive Capitaneus aliquis nomine regio semper administrat. Quæ Torpato sive Derpet fidelior? Vbi Anno 1558, in obsidione Moscovitica juramenti sanctitas inviolata ac illæsa permanfit. Hæc enim quamvis satis cognitum &

perspectum haberet, in potestate sua non esse, ut ejusmodi hostis vim diu sustinere posset: nihilominus tamen constans permanere voluit, & omnia extrema experiri, priusquam significationem deditiois daret. Quæ Ozilia angustior & tutior! cujus ad Episcopatum duæ arces & civitates, Arensburg scilicet & Sonnenburg pertinent, quæ in mari sitæ sunt, ita ut decursionibus hostium minime infestari queant. Quæ Vinda Curlandiæ civitate nobilior & præstantior? ubi olim Magistri Ordinis sedem suam habuerunt & comitia conventionesque Principum ac Nobilium celebrare soliti erant: hodie vero ab Illustri & Magnifico Domino Generali Samogitiæ administratur. Quæ Dunamund arce inexpugnabili commodior! ubi omnes naves ex ultramarinis regionibus Rigam venientes, merces indicare, teloniaque persolvere coguntur. Et hæc proposita non de his solum, sed de omnibus etiam reliquis civitatibus & arcibus sunt intelligenda. Si quidem nulla earum est quæ singularibus aliquot dotibus & privilegiis divinitus concessis non gaudeat. Quæ si paulo altius repetam,

Ante diem clauso componet Vesper Olympo.

Qua propter ne vestra, A. in auscultando benevolentia & humanitate videat, bonis, quæ a natura Livoniæ commodata sunt, omissis, ad illos ipsos accessum faciam, qui his bonis fruuntur, h. e. Livonos Livonia sua dignissimos laudatum ibo.

Certum enim est & experientia satis superque comprobatum, nobilitatem & felicitatem regionis, non solum ex fertilitate fructuumque omnium tam ex terra quam aqua nascentium abundantia: sed etiam ex incolis, bonis moribus præditis, dependere. Unde et Plato illam urbem beatam prædicat, quæ cives bonis moribus ornatos quam plurimos habet. Quæ cum ita sint, certè Livonia erit beatissima, quippe cujus incolæ iustitiæ & æquitatis studiosissimi, inter quos floret integritas, eminent honestas, viget singularis urbanitas, comitas & humanitas, servatur mutua officiorum communicatio, cujusmodi sunt familiares congressus, colloquia, convivia, colitur affabilitas & concordia studium. Livonia quoque perinde atque ceteræ Germaniæ regiones, ex Musarum, quæ hæcenus Dei beneficio feliciter ibi coluntur, convictu & familiaritate, magnam cum morum tum ingeniorum culturam & expositionem sibi comparavit: adeo ut (cum antea barbaries, inscitia & sævitia, tanquam lentes ac tribuli totam regionem implevere) nunc humanitate, facilitate & mansuetudine cum quavis alia gente optime morata certare possit. Taceo obedientiam erga Magistratum, inauditam, qua nihil prius & antiquius, honestius atque utilius habent, ita ut Magistratui obedire maximum illis videatur esse bonum, ad magna adipiscenda atque conservanda. Cognitum enim & perspectum

habent, Athenas, Spartam, & alias Respub. tantisper floruisse, dum cives summam gloriam duxerint esse; non triumphos, non vllas victorias; sed vincere alios diligentia obediendi legibus; Postquam a. Alcibiades, Hyperides & horum similes intolerabili petulantia & diuturna impietate leges violarunt, Rempub. Atheniensem de suo gradu dejectam, in exilium ruere cœpisse.

Lubens prætereo benevolentiam erga magistratum admirabilem, quæ tanta est, quanta in gentem aliquam cadere potuit. Vnde optimo jure illud, quod olim Eberhardus primus Dux Wirtenbergicus de suis subditis, hodie serenissimus Rex Sveciæ de Livonis gloriari potest. Hunc cum in Imperii conventu, Wormatiæ celebrato, cæteri principes gloriarentur de rebus pretiosioribus, quas singuli in ditione vel thesauris haberent, dixisse ferunt: se habere quidem ditionem non tam latam, quam omnibus rebns refertissimam: nihil tamen pretiosius in eâ ducere, quam se ita amari a subditis suis, vt si vel in venatione vel alias aberraret & solus in deviis locis, relinqueretur, nullas prorsus insidias metueret; sed absque omni sollicitudine somnum capere posset in sinu cujusvis subditorum suorum. Et profecto rerum omnium nihil commodius est quicquam ad principatum feliciter tuendum & conservandum, quam ab his quibus imperatur amari potius quam metui. Recte igitur a prudentissimis ho-

minibus dictum: malum esse custodem diuturnitatis metum & contra benevolentiam fidelem esse vel ad perpetuitatem.

Nihil jam dico de humanitate erga peregrinos, ob quam semper Livonia meruit laudem præclaram. Hoc ut probem liceat mihi uti verbis Reverendi Viri, Domini *Balthaseris Ruffovii*, rerum Livonicarum scriptoris curiosissimi. *Es sind*, inquit, *die Teutschen von den Unteutschen Volck* (intelligit Livoniæ rusticos & veteres incolas), *in solchen grossen Ehren und Würden gehalten, dass sie auch den geringsten Hoffdiener und Handwerker einen Herren und Junckern genennet, und es war einem Hofdiener oder Handwerchs Gesellen eine grosse Schande, dass er hie im Lande zu Fuße reisen sollte, denn er ward von den Edelleuten umb der Teutschen Sprache halben umsonst, vund von den Bavuren umb ein gar gering Geschenck, an den Orth, da er sein wollte geführet: Ward auch, wenn er den Edelleuten auff der Reise zugesprochen, freundlich empfangen, und frey ausgehalten. Vnd uber das, wenn ein Teutscher etwas straffwürdiges verdienet, vvard er wegen der Teutschen Gebühr, ehe verschonet als ein Einheimischer.*

Et quamvis Autor hoc elogium pristinis attribuit incolis, nihil tamen vetat, quo minus de hodiernis id ipsum optimo jure affirmare possimus. Si quidem jam deposita atque exsuta bar-

barie longe humaniores, mansuetiores ac molli-
ores facti sunt ex familiari Musarum consortio.
Certum enim ac extra omnem controversiam po-
situm est, quod, ubi Pallas nutrit Scholas, in
quibus docentur ac dicuntur artes, ibi sane non
possunt esse inhumani, degeneres aut ignobiles
animi juxta illud Poetæ.

Adde quod ingenuas didicisse fideliter artes
Emollit mores, nec sinit esse feros.

Cæterum sermonem quod concernit, est ille
pro diversitate gentis ac provinciarum etiam va-
rius ac diversus. Præcipue tamen plebs Livoni-
ca tribus utitur linguis, Suecica, Estonica, &
Curlandica. Cives vero & Nobiles omnes sunt
Germani, Germanisque moribus, habitu & idio-
mate utuntur.

Ad habitum fœminei sexus quod attinet, pal-
lia partim rubea, partim nigra, communiter ca-
pitis imposita, frontem & caput tegentia ad talos
plurimis plicaturis confecta gerit, pileisque sive
Biretis quadrangularibus, more Romanensium
Cardinalium, utitur. Virgines contricatos cri-
nes [quos maxime nutriunt, vel ad id præpara-
tos adaptant] capiti circumnectunt. Sponsa nu-
ptias celebratura, corona argentea deaurata ro-
tunda & in altum prominente ornatur. Omnis-
que virginalis & matronarum chorus rubeis vel
nigris palliis vestitus longo ordine præit & sequi-
tur. Hæc obiter. Pergo ad illud, quod omnis

commendationis caput est: Livoni pietatis sunt devotissimæ, religionis sinceræ & incorruptæ. Ut enim de devotione illa sub Papatu quæ fuit, quam erecta hinc inde sacella, templa & claustra comprobant, nil dicam; fuit certe Livonia ab eotempore, quo rejectis Pontificiis abusibus puram Evangelii doctrinam amplexata, veræ pietatis hospitium, in quo Ecclesia doctrinæ ac religionis puritate floruit, viguit, & ab omnibus corruptellis, ad hunc usque diem illibata remansit. Apud ipsos quoque incolas tantus ardor Evangelii doctrinam propagandi repertus fuit, ut vix declarari queat. Sic scimus multos fuisse nobiles & alios, qui divino adflatu oestro commotique tam suam, quam subditorum salutem; suis ipsorum sumptibus Pastores aliosque viros idoneos aluerunt, qui fidei christianæ mysteria, ac prima religionis fundamenta, non scriptis commendarent; sed in certas quæstiones & responsiones digesta, viva voce rusticis & rudioribus proponerent, explicarent & examinarent. His Pastoribus, vel ut rectius dicam, Catechetis sive Catechistis destitutis Catechumenis, ne ad pristinos errores reciderent, in vernacula saltem lingua prælegi Catechismum, a quadam Persona idonea, quotidie curarunt. O felicem igitur Livoniam, o ter & amplius beatam, quæ Dei Ter, Opt. Max. ejusque Ecclesiæ veræ facta es hospitium! In mundo summopere laudantur & amantur opes,

rerumque omnium divitiarum: Sed quid sunt sine verbo Dei salutifero? quam inania & ludicra; quibus miserum genus humanum, delusum saginatur sicut porcus, & ad extremum fit ferculum Diaboli exoptatissimum; E contrario Ecclesia sonante, doctrina vera de Deo & Filio ejus Jesu Christo florente, quid sanctius? quid præstantius? quid utilius? Hæc enim primaria causa conservans Regnorum & Imperiorum; vel ut Plato loquitur, totius Reipub. fundamentum, quo sublato, simul tollitur fides, societas generis humani, excellentissima virtus justitia & tandem omnis omnino tam corporis, quam animæ felicitas. Nam quemadmodum tota domus Aminadabi felix fuit propter præsentiam Arcæ; quæ per annos quinquaginta ibi mansit, donec eam David Rex, Hierosolymam transferret, comitatu frequenti & triumpho celeberrimo: ita Deus Regnis & Politis benefacit, quæ veram religionem fovent, quæ, quod Ecclesiarum manent hospitia non dissipantur nec funditus delentur. Exemplo est regnum Ægyptium, quod tamdiu floruit, donec familiæ Jacobi hospitium præbuerit: Postea vero Regum Ægyptiorum tyrannide contra Israelitas exasperata, regnum florentissimum diu variis quassatum est seditionibus.

Et quid Exemplis opus est externis? Siquidem ipsa Livonia, si commovere se funditus atque huc venire jam posset, tota profecto coram vna voce

profiteretur, religionem vnicam fuisse causam, quod in tot ac tantis præliis, calamitatibus, afflictionibus, persecutionibus penitus non fuerit eversa, exhausta, oppressa & sub jugum ac potestatem truculentissimorum Tartarorum, Muscovitarum & aliorum, cum quibus res plurimas gessit, subjecta. Verbis porro exprimeret peripeticiis, religioni acceptam esse ferendum, quod omnibus rebus ex terra & aqua nascentibus, cæterisque fortunis copiose affluat; quod Deus Ter Opt. Max. potentissimos Reges, fortissimos Duces, justissimos Gubernatores & alios pios Magistratus concedat & præficiat, qui hominum societati, sine qua bene vivere nemo potest consulant, omnia secundum leges, optima statuta, justitiæque præscriptum agant, ipsamque Remp. tanquam paternam domum administrant. Horum ex numero (vt vnum ex multis adducam) est magnus ille Heros Serenissimus ac Potentissimus Rex Sveciæ, Gustaphus Adolphus, cujus fama, res gestæ, corporis & animi bona, non solum in Dania, Polonia, Germania, Anglia & Gallia: sed in toto terrarum orbe talem obtinent splendorem, qualem nec vlla ætas, nec vlla vetustas corrumpet, obscurabit, delebit. Talis enim ac tantus est princeps Gustavus Adolphus, in quem tota natura conspirasse videtur, adeo vt omnium virtutum Rege ac Principe dignissimarum, perfectissimum Exemplar in eo

exprimere, & tanquam in speculo conspicuum
 reddere voluerit, Quis illo religiosior, in cuius
 omnibus dictis & factis tanta divini numinis elu-
 cet observantia ut sancte sibi persuadeat, si vel la-
 tum unguem (vt àjunt) a pietate & religione de-
 flectat, continuo se cum regno ipso corruiturum;
 Quis illo justior, qui nunquam repertus est injus-
 titiæ patrocinians, ita vt, quod olim de Fabricio
 Romano Pyrrhus Epirotarum Rex dixisse fertur,
 longe verius hodie de Gustavo Adolpho dici que-
 at: facilius a cursu suo solem revocari, quam
 hunc Regem a justitia deflecti posse? Quis illo fe-
 licior, qui tam providenti ingenii dexteritate ani-
 mos militum pertractare novit, vt operam,
 quam vix aliis stipendio, huic sola victoriæ spe,
 præstent? Quis illo fortior, qui nunquam victus,
 sed semper victor abivit, & vnus omnium arma
 sustinuit. Sic magnus ille Heros summa virtute
 vicit Moschos; afflixit Polonos; ad conditiones
 pacis coëgit Danos; Livoniam & Borussiam in
 suam potestatem subegit, & longe lateque regni
 terminos dilatavit. Sed quis est, qui hujus o-
 mnia memorabilia facta, laudes ac virtutes recen-
 sere, nedum pro dignitate ornare valeat. Atta-
 men non possum mori temperare, quin breviter
 veluti in speculo ejus laudes vobis exhibeam. Est
 enim noster **Gustavus Adolphus**.

In templo plus quam sacerdos:

In Repub. plus quam Rex:

In sententia dicenda plus quam Senator :

In iudicio plus quam Jureconsultus :

In Exercitu plus quam Imperator :

In acie plus quam miles :

In adversis perferendis, injuriisque condonandis
plus quam Vir :

In publica libertate tuenda plus quam civis ;

In amicitia colenda plus quam amicus :

In convictu plus quam familiaris :

In tota reliqua vita plus quam Philosophus.

Huic tali & tanto Regi ac Principi merito acclamamus omnes, illud Romanorum: **VITA & VICTORIA.**

De nostris annis Tibi Jupiter augeat annos.

Sed eho! quonam evagor? quo vehor extra cancellos? quo me laus Gustavi Adolphi abripuit? redeamus ad institutum, & paucis consideremus tam veterem, quam hodiernam Livoniae politiam. Veterem, quod attinet, est illa propter multitudinem regnantium non admodum laudabilis; juxta illud Homeri:

Multos imperitare malum; Rex unicus esto.

Nam amplissima Livonia in partes quasi divisa fuit, ita ut aliam sibi vendicarent Archiepiscopus Rigensis, Episcopus Derptensis, Ozelenfis, Curlandiensis & Revaliensis: aliam Magistri Ordinis Eusiferorum & Cruciferorum: aliam Muscovita, aliam Reges Daniae, Sveciae & Poloniae. Hic alienum non erit, vobisque A. minus ingra-

tum, originem & statum ordinum Enſiferorum & Cruciferorum aperire ac demonſtrare. A. C. 1204. tempore Alberti Epifcopi, cum Livoniæ incolæ ad fidem Chriſtianam converſi, contra irruentes fidei Chriſtianæ hoſtes, vna cum peregrinis Princibus, militibus, mercatoribus, qui pietatis ergo ad militiam Chriſto exercendam, ex Germania confluxerant, quotidie arma capeſſere cogentur, conſtituerunt conſeſſu Innocentii III. Pontificis, Ordinem Enſiferorum, ſive fratrum militiæ Chriſti, [hi Templarii exiſtimantur a Fulcone Hieroſolymorum Rege primum Anno Chriſti 1140. inſtituti] qui propugnacionem ac deſenſionem fidei Chriſtianæ in gentibus juvarent, & tertiam captæ provinciæ partem retinerent. Cum vero rebus gerendis ſuperſeſſe non poſſent, hoſtiumque barbarorum vis, vndiquaque invaleſceret, Teutonicorum fratrum Ordini in Boruſſia (qui vocabatur Cruciferorum & in expeditione ſacra, a Friderici Barbaroſſæ filio Friderico, Anno 1190. ob pietatem, quam quidam mercatores incurandis militibus ventris profluvione laborantibus Deo præſtiterant, fundatus, & a Conrado Duce Maſoviæ contra Boruſſos in Boruſſiam evocatus) ſeſe conjunxerunt, & Magiſtri Teutonicæ Ordinis in Livonia ſunt nuncupati. Ab his Livonia gubernata fuit ab Anno Chriſti 1238. ad annum 1561. quo tempore Gothardus Ketler quadageſimus ſextus & vltimus Teutonicæ Ordinis Magiſter, ob

impetum Moscovitarum se Regi Poloniæ subiectis, Dux Curlandiæ & Semigalliæ est declaratus. Ejusmodi occasione ita data, illa pars Livoniæ versus Poloniam in tutelam Regis Poloniæ Sigismundi Augusti: altera versus Sveciam & Finlandiam in tutelam Regis Sveciæ Erici XIV. filii Gustavi princi, venit.

Cum autem ipsa natura & ratio svadeat, ut vnius imperii corpus, vnius animo regatur, & nunquam magis domesticis similitudinibus & contentionibus Respub. turbetur, factetur, prosteratur, quam si duo vel tres vnius imperii claves teneant. Quare evitandi tanti periculi ergo, Anno Christi 1621. noster Gustavus Adolphus in Livoniam irrupit, ac Rigam, cæterasque civitates & arces ab imperio Polonico avulsas; suæ ditioni, cum insigni nominis sui fama adjecit, & totius Livoniæ Dominus, Pater, Defensor est factus. Robus itaque in Livonia potitus, civitatibus & arcibus Governatorem sive Capitaneum adjunxit, qui Regio nomine administraret. Illum autem cives sibi dominari non patiuntur: sed obedientiam & tributa Regi fideliter exhibent, ipsique civilibus legibus vrbes administrant. Hic leges, jura, privilegia confirmavit, novas fancivit, & quicquid ad utilitatem & felicitatem Reip. facere intelligebat, sapienter & prudenter procuravit. Juxta hunc supremum Magistratum habet quælibet civitas suos consules, & senatores, viros

prudentissimos, multo rerum usu experientissimos, qui jura legesque, tanquam fundamenta Reipub. civibus præscribunt, quantum cuique tribuendum sit, optime intelligunt, civium inter se dissidia componunt; judiciales controversias decidunt, jura sociorum, fœdera, pæditiones definiunt, præterit recordantur, futura proficiunt, & quid omnibus in rebus factu optimum sit, acutissime prævident. In judiciis criminibus controversias legibus æquissimis juste dirimunt, bonos & innocentes defendunt, sceleribus ac flagitiis pollutos, citra vilius Personarum respectum pœnis condignis adficiunt. Hunc Ordinem Senatorium sequuntur, Tribus, quæ in suos Tribunos, vulgo *Elterleut* & *Eltesten* dicti. Horum tanta est dignitas atque auctoritas, ut nihil a Senatu, bonum civitatis publicum spectans, absque illorum consensu comprobari possit. Idcirco quotiescunque aliquid in Republ. tractandum venit, necesse est, ut indicetur etiam illis Tribubus quorum si sententia inclinet in partem Senatus, res est salva.

Cognovistis igitur, A. ut spero amplissimæ regionis Livoniæ originem, situm, fertilitatem; Cognovistis et in altera parte incolarum mores, religionem, habitum & politiam, restat tandem, ut de Livonorum rebus gestis & adversarum rerum tolerantia aliquid dicam. Dicam autem pressius; cum de singulis aliquid dicere esset inci-

pere & nunquam desinere. Si quis nescit, quanto zelo Evangelii propagandi gratia Barbaros represserint & subjugarint? quæ magnanimitate fuerint præditi in obsidionibus? quanta patientia pestem, famem aliasque pœnas a Deo ob peccata inflictas tolerarint? Sic novimus ex Historicis An. Christi 1315. & An. 1532. tantam fuisse rei frumentariæ inopiam & calamitatem, ut aliquot millia hominum fame perierint, superstites equis, canibus, felibus aliisque consimilibus victare cœperint, nec abhorruerint quoque ab esu suspensorum furum: imo sordes, quarum alias odore solo nemo non læderetur, in alimoniam subductæ. Et ne quod ad extremæ necessitatis exemplum deesset, liberi parentibus cibo fuerunt. Taceo alios morbos, quibus sæpissime afflicti fuerunt. Et ut ad res gestas deveniam, quis nescit, quæ fortitudine a finibus suis aliquoties propulsarint Polonos? quæ virtute vicerint Danos? quis nescit quot victorias, trophæa & insignia a Muscovitis potentissimis reportarint? Ex his omnibus ut paucis exemplis saltem delibem, ab anno, quo lux divina, humana in specie cœlitus mundo affulsit 1381. Magnus Muscoviæ Dux, Livoniensium castrum Nienhus in provincia Derptensi acerrime oppugnabat, cui oppugnationi ipse sua persona, cum trecentis millibus armatorum intererat. Obsessi vero viribus exhausti & destituti,

divinæ

divinæ propugnationi & tutelæ humiliter se committebant; ipse etiam præfectus arcis flagranti corde orabat, ut Deus in tam deplorato rerum statu sibi suisque auxiliari dignaretur, felicemque gravis obsidionis liberationem largiretur. Quibus precibus peractis exsurgit, arcuque arrepto telum cum cuspide præacuta e fenestra propugnaculi in medium exercitum Muscoviticum jaculatur & adspirante conatibus Deo, ipsius Magni Principis cor lethaliter transfigit, quo mirabili memorabiliqve facto Livoni ab obsidione sunt liberati; Muscovitæ vero consternati, ut relictis castris & arrepto Ducis cadavere fuga sibi consulerint. Proferamne an fileam celebre illud & perpetua memoria dignum prælium contra Muscoviæ Ducem gestum Anno 1500. sub Ordinis Teutonici Magistro Dn. Walthero a Plettenburg? Hic cum vix duodecim suorum millibus stipatus, obviam illi procedit Muscoviticus exercitus, centum millia armatorum continens, cui adjunctæ erant Tartarorum copiæ triginta millia conficientes. Teutonicus itaque Magister, ubi aut turpiter fugiendum, aut ingenti cum animo adversus tantum exercitum barbarie & armis formidabilem, procedendum vidit, nihil de victoriæ spe remittens, aleam belli tentare constituit, & animis suorum confirmatis, classicum canere iussit. Cum vero ad prælium ventum fuerit, ex Teutonicis duntaxat unum desideratum, complu-

resque, sed non lethaliter vulneratos: Muscovitarum & Tartarorum vero circiter centena milia trucidata. Hac igitur clade suorum Moschorum Dux Basilius Joannides audita, summo stupore admiratus, tantum exercitum a tam exiguo tam turpiter casum & prostratum, pacem Livonis non decem, sed totos quinquaginta annos duraturam obtulit, & optimis conditionibus sanctam prorogavit, asserens, Livonos ut & omnes Teutonicos duros, imo ferreos viros merito esse appellandos. Taceo hic fortitudinem & alacritatem Reveliensium, quam in vindicatione suæ urbis ab obsidionibus duabus Moscoviticis declarant, dum quotidie irruendo & propulsando hostem sic defatigarunt, ut Dux exercitum Moscovitarum obsidionem solvere coactus fuerit, licet sibi præsumsisset non discedere, priusquam urbem deditioe ceperit.

Nec his vobis A. molestus ero, ostendendo Rigenfium constantiam ac virtutem, qua præditi erant in quatuor obsidionibus periculosis, quibus serenissimi Reges Sveciæ Carolus, Anno Christi 1604. & 1607. noster vero Gustaphus Adolphus Anno 1617 & 1621. iterum iterumque invasi sunt. Nam quod attinet [ut reliquas taceam] ultimam, ut durissimam, ita infelicissimam, qua certe Livoni optimum fortitudinis & magnanimitatis documentum præbuere. Quis enim non metueret hostem viginti millibus armatorum

stipatum; innumerabilibus tormentis aliisque machinis bellicis instructum, circa civitatem castra & tentoria figentem, aggeres & munitiones exstruentem, magna festinatione omnes viarum aditus & itinera intercludentem, arctissimaque obsidione civitatem terra marique circumvallantem? Quæ omnia licet prædicto tempore Rigenſibus acciderint, non tamen ita animis consternati sunt, ut non modis omnibus pro virium suarum mediocritate resisterent, & summo conatu viam hostilem propulsarent, nihili curantes, singulis diebus aliquid ex tam exiguo numero tum civium tum militum violentissima & continua tormentorum verberatione fortiter cecidisse.

Imo hostis nec dum urbem expugnasset, nisi clandestinis quoque cuniculis oppugnasset, & viginti quatuor cados pulveris pyrii in locis subter aggerem & propugnacula posuisset & occultasset. Atque ex his A. fortitudine documentis de totius Livonici populi fortitudine iudicate.

O Livoniæ patriam dulcissimam! O Europæ incomparabile decus! Quis est qui tuas tuorumque incolarum laudes perstringere, nedum pro merito exornare valeat? Cum in univèrsam infabile es fortitudinis documentum, incomparabile pietatis exemplar, inaudita laborum, calamitatum, periculorumque imago. Miramur animalia quædam, quæ per medios ignes sine noxa corporum transeunt: quanto mirabilior tu es,

quæ per ferrum, per ruinas, bella ac infinita pericula illæsa & indemnis, imo te ipsa major & illustrior evasisti? Et quemadmodum tot annes tantum superne dejectorum imbrium, tanta mediterraneorum vis fontium, non mutant saporem maris, nec remittunt quidem: ita adversarum impetus rerum, tuorum incolarum non vertit animum, manent illi in statu & quicquid evenit in suum colorem trahunt. Quare hic cursum orationis meæ sisto, & cum Livoniam natura, virtus autem Livonos, & felicitas Livonorum magistratum commendabilem fecerint, puto, A. nisi me omnes sensus decipiant, vos mihi jam accredere, atque assensu vestro stabilire; Livoniam omnibus Europæ regionibus si non anteferendam, tamen optimo jure conferendam esse.

Tibi igitur æterne Deus, Pater Domini nostri Jesu Christi gratias ago, quantas mentis meæ angustia capere possunt maximas, quod lucem verbi tui divini in Livonia clementer accendere, accensam hæcenus benigne conservare, conservatam in cordibus hominum firmiter obfirmare non dedignatus sis: Te quoque æterne Pater, ex intimis cordis penetralibus rogo & obsecro, ut in posterum quoque veram religionem, leges vitales, salutaria præcepta, concinnos mores, honestos ritus in eadem ut et in aliis locis tibi tuoque nomini dicatis, florere sinas. Adesto, magne Deus, Pastoribus aliisque vineæ tuæ operariis.

Impedi consilia fanaticorum, & omnium eorum, qui paci bella præferunt. Seda, o Deus, fluctus seditionum tam graviter æstuantium. Conserva Reges, Principes, aliosque pios Magistratus, quo sub illorum defensione in pace & tranquillitate vivere, tibi que cultum gratum præstare queamus. Guberna spiritu tuo sancto Doctores omnesque qui Scholis operam navant fidelem: Defende Academias, illasque tuo calore cœlesti fove, ne ex nostra culpa decrescant & deflorescant: Sed sint horti amœnissimi, in quibus arbores non steriles sed fertiles plantentur, crescant, adolescant, maturescant. Et ita Spiritu tuo nos omnes rege, ut tandem in Academiam cœlestem translati, Te, qui solus es verus finis, sine fine intueamur, sine societate colamus, laudemus, celebremus. Denique et vobis A. omnium ordinum spectatissimi & honoratissimi gratias ea, qua decet animi observantia ago & habeo maximas, quod sepositis gravioribus negotiis, in hoc virtutis & sapientiæ theatro comparere, & mihi de Patria tenuiter dicenti, benignas & attentas aures præbere dignati estis. Ego vicissim, si quæ ad vestram utilitatem, dignitatem, auctoritatem, quæ per se amplissima, pertinere intellexero, summo studio suscepturum polliceor.

DIXI

I.

Præst. Dn.

NICOLAO SPECHT.

Patriæ laude perstringenti.

Roboris vt rostro rimatur viscera Picus

Et petit inde cibos atqve alimenta sibi:

Abdita fastorum sic tu quoque viscera Spechti.

Rimando veteres discutis historias.

Hoc nervosa probat Patriæ descriptio, multa

Tu Patriæ debes, Patria multa Tibi.

Amoris & amicitiae ergo

F.

Johannes Cotenius.

Arensburga-L. vonus.

II.

Sordere vulgo dicitur laus propria.

Quid ego de Te dixerim? qui maximis

Livoniam Livonus ipse laudibus

Spechti extulisti; Num ne cordatis labor

Sordebit iste? Non puto, cum maxime

Oleat amorem Patriæ laudabilem,

Natura quem requirit ipsa ab omnibus.

Versari in ipsa me Livonia puto

Hæc dum lego, sic congruunt sibi omnia!

Hoc macte studio! nam tua factum est ope

Vt non videns videat tamen Livoniam.

Benevolentiae & sinceri adfectus

contestandi ergo hæc adjecit

I. mque.

Petrus Bauer

Riga Livonus.

III.

Tu laudum Patriæ nunc es præco, optime *Spechti*,
 Præco tuæ quam mox Patria laudis erit.

Dn. Conterraneo, atque amico suo

Svavissimo ita gratulabatur

Herrmannus Potthast.

Riga - Livonus.

IV.

Spechti, quem Genii vis nobilis armat in artes;

Laus quondam Patrii certa future soli.

Dum mores, ortum, cultus atque arma Livonum,

Et quod præterea gens ibi laudis habet,

Omnia primæva repetens ab origine dicis.

Es bonus Orator, Historicusque bonus

Dn. Conterraneo meo ita

iubens acclamo

Michael Sartorius.

a Sengallis Livonus.

INDEX.

Exordium	Pag. 15.
Incolarum Origo in fine p.	16.
Nominis deductio.	18.
Conversio	19.
Situs Livoniæ	22.
Amplitudo	25.
Clementia cœli	26.
Amœnitas & fertilitas	27.
Aqva	30.
Succinum	32.
Lapidicinæ	33.
Mores incolarum	36.
Obedientia	36.
Humanitas erga peregrinos	38.
Sermo	39.
Habitus (Vestitus.)	39.
Pietas & religio	40.
De rebus gestis	47.
Conclusio	52.

Locum obscurum P. 47, Cognovistis &c. iterum descripsi ordine quo accepi. Tota hæc Oratio descripta & recognita est, ex Manuscripto ad exemplar impressum, Bibliothecæ Vinariensis.

Gustavus Bergmann Ruien 1796.

